

primo in duodecim areolas distribuatur: quarum deinde quæ angulos possidebunt medias secabimus. Ita enim fiet, vt sedecim ædibus areae suppetant, laxa interim decentiæ planicie pro templi relicta, vt ab omni profanorū contagio expeditum sit. Huc differentiæ gratia, ⁊ numerus ascribetur. Deinde ex officinarum latere ad. 15. & 17. areas duæ finientur, quarū hic modus sit, vt sagillatim vtrius iam descriptæ areae latitudinem exæquet, longitudinem disparem sortita. Nam quæ ad munitionem recedit proprius, ducentos pedes ad longitudinē emēsa, denis ædibus compari sectione attribuetur. Altera sanè quæ 17. aream ex aduerso spectat, in pedes ducentos quinquaginta procurrēs, in duodecim ex æquo areas distingueretur. Hac enim finitione assequemur, vt vtrinq; pro officinis metallaribus loci abūdē suppeditet cōflandis maioribus bōbardiis, aliisq; id genus tormentis ex arbitrio conficiendis. Atq; ex hisce areis, quæ ad munitionem accedit proprius, 24. altera 25. numero exarabitur.

Expedita hactenus arearum perscriptione, consentaneum est, proximo dein de loco, ædes aptè locandi rationē suppeditare, vt pro vtilitate & tractatione rerum agendarum oportunis vſibus accommodentur singula. Areas igitur quatuor post curiā, octo item x distinctas, primates conuenienter habitabunt, ne à curia senatoria absint lōgius. Nobiles deinde ædes in. 17. 18. areis perscriptas oportunè incolent. Cæterum in. 15. & 16. ædificationes constitutæ locabuntur militiæ prefectis, antesignanis, vexilliferis, cāpi doctoribus, vnoq; verbo militū potioribus, eisq; qui in expeditione præcipui publiciæ munieris aliquid obeunt. Hoc pāto & aditum in regiam valide communiueris, & effeceris, vt si qua tépestas id exigat, in promptu sit copiarum expeditio: interim non dicam, quod angustiora habitacula, vel hoc nomine militibus, & id genus hominibus destinantur, quod nulli aut artificio aut rerū commertio peculiariter addicti, belli necessitatibus solūm inseruiunt, quæ vitæ ratio exiguo loci spatio potest esse contenta. Ad templum circumquaq; in. 19. 20. 21. ædes recipientur, quorum operæ laboresq; tumulu strepitūq; carent, quiq; tacitam, vt ita dicam, vitæ rationem consequantur. Cæterū secundum officinas metallares, areas. 22. 23. 24. 25. fortinentur habitandas, qui ex ære cuproq; aliquid operis conflant, quorum deniq; labor quoquo modo officinarum vſibus addictus est. Atq; hoc modo. A.C. latus à nobis in areas distributum, oportuno habitandi vſui elocatum sit, reliquum est, vt. C.B. portionē consimili diligentia perscribendiq; cura expediamus.

Primum igitur ad hoc latus secūdū triū platearū finitiones octo areæ. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. diligētius perscribētur, vt regiæ fossæ lōgitudine emetiātur: has quatuor fossæ, pedib; queq; viginti qn; late, passim interceptas legitime distinguēt. Atq; inter. 26. & 27. areas laxior intercedere linquetur, vt loci abūdē ipsarūvſui suppeditet. Hic enim laxiora duo cōficiētur armētaria, in quæ ōnis belli apparatus quæq; expeditio postulat, reponētur. Hęc itaq; struēdi hic ferē modus sit, vt robustioribus passim fornicibus testudinētur instruātūr; vinaria cella subterranea, vbi ōnis potus ratio integra asseruetur. Deinde murali opere, hoc est, parietib; erūt hec edficia depressiora, vt laxius tectū sortita cenacula & tabulata faciēdi

copiam